



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

47. Petrus II. ab Asphelt sive Aspelt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11463**

hoc bello Philippus Pulcher Galliae *Anno Christi*  
Rex, per Legatos Rudolpho quidem  
minatus est, sed ultra minas non pro-  
cessit. Anno 1290. 7. Sept. supremo  
defunctus est die Petrus Episcopus,  
cui iusta persoluta in Cathedrali æde,  
& ipse terræ mandatus est juxta aram  
Beatæ Virginis. Nec ultra superstes  
vixit Rudolphus quàm unius anni  
spatio, mortuus 22. Iulij, vel, ut alij  
malunt, ultimo Septembris, ætatis  
septuagesimo secundo, Spiræ sepul-  
tus.

P E T R V S II.

Ab Asphelt sive Aspelt.

*Basileensis Episcopus.*

LXVII.

**T**Yrolensis patriâ, professione Me-  
dicinæ Doctor, curare jussus est  
Episcopatum Basileensem, volunta-  
te Bonifacij VII. Ecclesiæ clavum  
tum



Anno  
Christi  
1292.

tum gubernantis. In hac nova constitutus dignitate Petrus, Adolpho Nassovio, fidelem gratamque operam præstitit. Anno siquidem in eunte 1292. salutato ab ordinibus Imperij, in Cæsarem Adolpho, Colmaria Alberti Austriaci confisa potentia, eo usque rebellem se opposuit, dum armis subigeretur. Quod & factum, ope singulari & opportunis suppetiis Argentinensis, atque Basileensis Episcopi, in cuius gratiam Rebellionis primariis Capitibus, Consuli scilicet Colmariensi, eiusque filio læsæ maiestatis injuriam condonasse Imperator dicitur.

Emit Petrus anno 1305. à Fridrico Toggenburgensi, Leucostabulum, vulgò Liechstallium, arcem Honbergensem, & villam Elsenvvihr in Alsatia, indignante quidem Alberto Imperatore, qui hæc sibi & hæreditariis ditionibus Ergovia adiecta cupiebat. Eo



Eodem anno Cardinales Perusij *Anno*  
congregati, sacrisque habitis ibi Co- *Christi*  
mitiis, Clementem V. Pontificem  
Supremum consalutarunt. Hic se-  
dem Romam transtulit Avenionem,  
non inde movendam ante septuagin-  
ta quatuor evolutos annos. Cle-  
mentem inde adeo sibi benevolum  
habuit Episcopus Petrus, ut à Basi-  
leensi Cathedra ad Moguntinum  
Archiepiscopatum promoveretur.  
Quo in sublimi munere, præter alia  
religiosè gesta, Patribus Carthusia-  
nis Cœnobium condidit. Post bre-  
ve tempus, anno videlicet 1314. inter *1314.*  
Septemviros Imperij Electores, dis-  
fensio fuit non modica, quis Henri-  
co Luceburgensi Imperatori defun-  
cto subrogandus esset. Favit Petrus  
Ludovico Bavaro contra Frideri-  
cum Austriacum, memor offensio-  
nis, quam olim ab Alberto Friderici  
parente se accepisse contestabatur.

Anno



*Anno Christi* Anno denique 1320. 20. Junij mortalis esse desiit.

1320

## O T H O II.

A Grandfé, Baro Burgundus.

*Basileensis Episcopus.*

*XLVIII.*

**I**Nstitutus à Clemente Pontifice Basileensium Episcopus Otho Granseius, turpissimo, quod in Cæsarem coxerat facinore, nomen & famam longè obscuravit. Causa meditatae cædis fuit, repulsa illa & mora longior, quâ Imperator Albertus, petita concedere ipsi lura Regalia abnuebat. Quare, vindictæ cupiditate incensus Otho, consilium capit dignitate sua indigissimum, & facinorosis quibusque, ac profligatae vitæ consceleratis abominandum. Præsentem se ipse Impera-